



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCVII. Ioannis Papae VIII. Ad Leonem Episcopvm. Dolet Capuae
discordias esse excitatas. significat se Traiectum iturum, ibique de
Landulfo episcopo electo, cuius confirmationem petierat, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LEONEM EPISCOPVM.

Dolet Capuæ discordias esse excitatas. significat se Traiectum iturum, ibique de Landulfo episcopo electo, cuius confirmationem petierat, acturum.

Reuerendissimo & sanctissimo Leoni episcopo.

SACERDOTALEM curam & solitudinem, quam pro ecclesia Dei utilitate, populique concordia, & pace peragere procul dubio debent Domini sacerdotes, literis tuis relectis, te luciflue habere cognoscimus; dum Dei, proximique dilectione solicitus, doles Capuanos nobiles scilicet viros, fraterno fœdere per iusurandum inter eos habitu nequiter corrupto ad veram discordiam & inimicitiam peruenisse; & adhuc in ea improuida mente confistere, atque pro Landulfo venerabili presbytero, & electo a vobis, & omni sacerdotali cœtu, nobiliumque caterua, cunctoque populo Capuanæ ciuitatis, pontificio nostro supplicas, quatenus eum non differamus sacra plebi Capuanæ antistitem ordinare. Nos autem pastorali solitudine moti, vobiscum similiter condolemus fratres, & propinquos pro sæculi cupiditate in tantam discordia & inimicitia voraginem demersos; pro quibus sane, Deo propitio, pacificandis, volumus Kalendis Octobribus Traiectum venire, & ibi cum Guaferio principe, atque vobiscum, & cum Capuanis, ceterisque vestratis loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis sunt necessaria; & tunc de ipso electo vestram secundum sacros Canones adimplebimus voluntatem: & idcirco graue non videatur dilectioni vestra nostrum, ut dictum est, specialem præstolari aduentum. *Vnam talem Adelchisi episcopo, & alteram Lupeno episcopo.*